



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

Vtrum idololatria sit grauissimum peccatorum? 3

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38762**

Ad secundum Et tertium patet responsio per ea  
† in co. a. quæ dicta † sunt.

## ARTIC. III.

¶ *Verum idololatria sit grauisimum peccatorum?*

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quòd idololatria non sit grauisimum peccatorum. Pessimum enim opponitur optimo, vt dicitur \* octauo Ethicor. Sed cultus interior qui consistit in fide, spe, & charitate, est melior quam cultus exterior. Ergo infidelitas, desperatio, & odium Dei, quæ opponuntur cultui interiori, sunt grauiora peccata quàm idololatria, quæ opponitur cultui exteriori.

¶ 2 Præterea, Tanto aliquod peccatum grauius est, quanto magis est contra Deum. Sed directius aliquis videtur contra Deum agere blasphemando, vel fidem impugnando, quàm cultum Dei alij exhibendo: quod pertinet ad idololatriam. Ergo blasphemia vel impugnatio fidei, est grauius peccatum quàm idololatria.

¶ 3 Præterea, Minora mala maioribus malis puniri videntur. Sed peccatum idololatriæ punitum, est peccato contra naturam, vt dicitur ad Roman. 1. Ergo peccatum contra naturam est grauius peccato idololatriæ.

¶ 4 Præterea, August. dicit 20. \* contra Faustum, Neque vos, scilicet Manichæos, paganos dicimus, aut schisma paganorum; sed cum eis habere quandam similitudinem, eo quòd multos colatis Deos. Verùm vos in hoc esse eis longè deteriores: quòd illi ea colunt quæ sunt, sed pro dijs colenda non sunt: vos autem ea colitis, quæ omnino non sunt. Ergo vitium heretice prauitatis est grauius quàm idololatria.

¶ 5 Præterea, Super illud ad Galat. 4. Quomodo conuertimini iterum ad infirma & egena elementa, dicit glos. \* Hierony. Legis obseruantia, cui dediti tunc erant, erat peccatum penè par seruituti idolorum, cui ante conuersionem vacauerant. Non ergo peccatum idololatriæ est grauisimum.

SED

¶ 101

2.2. q. 102

a. 3. c. 11

Et mal.

q. 2. a. 10

10. Et 1.

Cipr. 12.

co. 2.

\* L. 8. c. 10

sit. prin.

l. 20 con-

tra Faust.

c. 9 circa

prin. 1. 6.

id habet

in senten-

tia glos.

interlin.

in hoc lo-

co.

SED contra est, quòd Leuit. 15. super illud quod dicitur de immunditia mulieris patientis fluxum sanguinis: dicit \* glo. Omne peccatum est immunditia animæ, sed idololatria maximè.

RESPONDEO dicendum, quòd grauitas alicuius peccati potest attendi dupliciter. Vno modo ex parte ipsius peccati: & sic peccatum idololatriæ grauissimum est. Sicut enim in terrena republica grauissimum esse videtur, quòd aliquis honorem regium alteri impendat quam verò Regi ( quia, quantum in se est, totum reipublicæ perturbat ordinem ): ita in peccatis, quæ contra Deum committuntur, quæ tamen sunt maxima, grauissimum esse videtur quòd aliquis honorem diuinum creaturæ impendat: quia quantum est in se, facit alium Deum in mundo, minuens principatum diuinum. Alio modo potest attendi grauitas peccati ex parte ipsius peccantis: sicut dicitur grauius esse peccatum eius qui peccat scienter, quàm eius qui peccat ignoranter. Et secundum hoc nihil prohibet grauius peccare hæreticos, qui scienter corrumpunt fidem quam acceperunt, quàm idololatrias ignoranter peccantes. Et similiter etiam aliqua alia peccata possunt esse maiora propter maiorem contemptum peccatis.

Ad primum ergo dicendum, quòd idololatria præsupponit interiorem infidelitatem, & adiicit exterius indebitum cultum. Si verò sit exterior tantum idololatria absque interiori infidelitate, additur culpa falsitatis, vt prius dictum \* est.

Ad secundum dicendum, quòd idololatria includit magnam blasphemiam, in quantum Deo subtrahitur dominij singularitas, & fidem opere impugnat idololatria.

Ad tertium dicendum, quòd quia de ratione peccati est quòd sit contra voluntatem, peccatum per quod aliud punitur, oportet esse magis manifestum, vt ex hoc homo sibi ipsi, & alijs detestabilis reddatur. Non autem oportet quòd sit grauius. Et secundum hoc, peccatum quod est contra naturam, minus est pec-

*gl ordin.  
sup illud  
Docebitis  
filios is-  
rael, vt  
caueant  
immundi-  
tias.*

*art præc.*

catum quam idololatriæ. Sed quia est manifestius, ponitur quasi conueniens pœna peccati idololatriæ: ut scilicet sicut homo per idololatriam peruerit ordinem diuini honoris, ita per peccatum cõtra naturam, propriæ naturæ confusibilem peruerfitatem patiatur.

Ad quartum dicendum, quòd hæresis Manichæorum, etiam quantum ad genus peccati, grauior est quam peccatum aliorum idololatrarum: quia magis derogant diuino honori, ponentes duos deos contrarios, & multa vana fabulosa de Deo fingentes. Secus autem est de alijs hæreticis, qui vnum Deum continentur, & eum solum colunt.

Ad quintum dicendum, quòd obseruatio legis tempore gratiæ, non est omnino æqualis idololatriæ, secundum genus peccati, sed penè æqualis: quia vtrumque est species pestiferæ superstitionis.

## ARTIC. IV.

*Utrum causa idololatriæ fuerit ex parte hominis?*

504  
2. d. 15. q. 2. a. 2. co.  
Et 3. cõtra c. 120  
Et po. q. 3. a. 4. co.  
A D quartum sic proceditur. Videtur, quòd causa idololatriæ non fuerit ex parte hominis. In homine enim nihil est nisi vel natura, vel virtus, vel culpa. Sed causa idololatriæ non potuit esse ex parte naturæ hominis: quin potius naturalis ratio hominis dicat, quòd sit vnus Deus, & quòd non sit mortuus cultus diuinus exhibendus, neque rebus inanimatis. Similiter etiam nec idololatria habet causam in homine ex parte virtutis: quia non potest arbor bona malos fructus facere, vt dicitur Matt. 7. Neque etiam ex parte culpæ: quia vt dicitur Sap. 14. Infandorum idololatræ cultura omnis mali causa est, & initiũ & finis. Ergo idololatria non habet causam ex parte hominis.

¶ 2. Præterea, Ea quæ ex parte hominis causantur, omni tempore in hominibus inueniuntur. Non autem semper fuit idololatria, sed in secunda ætate legitur esse adinuenta: vel à Nembroth, qui (vt dicitur) cogebat homines ignem adorare: vel à Nino, qui imaginem patris sui Beli adorari fecit. Apud Græcos autem (vt Isidorus \* refert) Prometheus primus firmu.

li. 8. Ety.  
c. 11 pau  
la à prin.